DE ASIA ROMANORUM PROVINCIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
UNA CUM THESIBUS APPOSITIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
D. XXVI. M. JANUARII A. MDCCCXLVI.
HORA I. IN AULA MINORE
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RICHARDUS BERGMANN
THURINGUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
BERNHARDUS STARK, PHIL. D.
MAXIMIL. SENGEBUSCH, PHIL. D.
ADOLPHUS KIRCHHOFF, PHIL. D. DES.

BEROLINI
TYPIS STRIESII ET SOCIORUM.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

AUGUSTO BOECKHIO

C. TIMOTHEO ZUMPTIO

PRAECEPTORIBUS PIE COLENDIS.

S.

tationis de regno Pergameno conscriptae [1]). Nos jam studiorum in perscrutandam terrarum imperio Romano olim subjectarum condicionem collatorum specimen de eadem Asia proponimus, quippe cujus res Meierus, ut finis quem persequebatur, ferebat, indicarit magis, quam perpetua disquisitione explicarit.

Comprehendimus autem tempus inde ex quo Romani ad ditissimam illam provinciam sibi comparandam animos adverterunt, usque ad Diocletiani principatus initium; quae ultra posita sunt, quum hicce imperator provinciarum administrationem omnino commutare inceperit [2]), exclusimus.

Asia tum arctioribus quam reip. aetate et tribus primis imperatorum saeculis inclusa finibus exiguam tantum orae occidentalis partem ab Adramytio usque ad Lydiae Tmolum et Cariae Maeandrum patentem continebat [3]); regebatur a proconsule, cui et consularis Hellesponti et praeses Insularum parebant; ipse procos. aliquatenus sub praefecto pr. Orientis erat [4]). Reliqua Lydia Cariaque et Phrygia jam bipartita, Pacatiana et Salutaris, quae quidem terrae antea omnes ad Asiam provinciam pertinebant, cum Lycia, Pamphylia, Pisidia, Lycaonia dioecesis Asianae vicario datae, qui eidem praefecto pr. plane obtemperabat [5]).

Exhibemus hic tria tantum commentationis capita priora, quibus agitur de ratione qua Romani Asiam imperio adjunxerint, de provinciae finibus, de praeside ejusque legatis. Duo insequentia capita ad quaestorem et ad

---

[1]) Dissert. continetur Encyclop., artt. et litt. Halens. T. XVI.

[2]) Lactant. de mort. persec. 7.

[3]) Eunap. Maxim. p. 101 ed. Plant. coll. Hierocl. Synecdem. p. 393 sq. ed. Bekk.

[4]) Notit. dign. p. 51 ed. Böck. (c. 18 §. 1.) cf. Wesseling. ad Hierocl. l. c.

[5]) Notit. dign. p. 9 (§. 1.) p. 59. (c. 22 §. 1.)

procuratores atque curatores ab imperatore missos pertinent; quibus accedit dictorum magistratuum recensus. Deinde quo jure provinciales quibusque foris sive conventibus insignes fuerint: quae vectigalia pependerint, quae alia officia praestiterint: quaenam civitates libertate, quaenam libertate et immunitate, quaenam jure Italico usae sint: quas colonias Romani in Asiam deduxerint, exposuimus; denique de civitatibus neocoris ludisque a communi Asiae in imperatorum honorem celebratis nonnulla addidimus. Haec vero omnia proximo tempore edemus.

Caput primum.

Quomodo Romani Asiam provinciam sibi compararint, exponitur.

Quum Ptolemaeus Philopator Aegypti rex mortuus filium pupillum reliquisset, de partiendo ejus imperio Philippus III. Macedo et Antiochus Magnus pactionem inter se fecerunt, ex qua alter occidentalem Asiae minoris oram, alter Coelesyriam, Phoeniciam, Ciliciam invasit [1]. Philippi conatibus primum Rhodii se opposuerunt, suae quidem saluti prospecturi illique offensi, quod ipsos pro Cio opulenta Bithyniae urbe ad Propontidem sita, quam Aetolorum praesidio firmatam a Prusia I. Bithyno affini suo incitatus a. 203 a. C. petiit, deprecatos falsis promissis deluserat

[1]) Polyb. III, 2. XV, 20. coll. App. Mac. 3, ubi quae de Ptolemaeo Philopatore commemorata sunt, ad Ptolemaeum Epiphanem referenda. — ib. Syr. 2. Liv. XXXI, 14. Justin. XXX, 1. XXXI, 1. De Ptolemaeorum imperio in Asiam patente cf. Droysen. de Lagidarum regno p. 9.

atque incolas direptos in servitutem abduxerat [1]); sed victi apud Laden insulam tempus opportunius, quo pari par referrent, exspectare coacti sunt [2]). Interea Philippus regni Pergameni parte devastata Attalum quoque violavit [3]), qui ut hostem repelleret, Aetolos ad populandam Macedoniam exhortatus est. Quod facere illi, quamvis et propter praesidium Cio expulsum et propter Lysimachenses Chalcedoniosque ab ipsorum foedere aversos Philippo succenserent, tamen gravati sunt [4]). Tum Attalus et Rhodii a. 201 conjunctis viribus apud Chium cum eo navali proelio conflixerunt, quo quamquam superiores discesserunt, impedire tamen non poterant, quin Cariam intraret ibique per hiemem commoraretur [5]). Itaque quum neque propriae vires sufficerent neque e vicinia auxilium exspectare possent, Romanos qui devicto Hannibale maximam apud populos consecuti erant auctoritatem, acciverunt. Quod factum est a. 200, quo etiam Alexandrini, ut pupilli regis ditionem tuerentur, eos implorarunt. Sic Romani Asiae rebus sese immiscendi occasionem nacti sunt, quam proferendi imperii cupiditate incensi sub titulo defendendorum sociorum avide arripuerunt [6]).

Devicto Aetolorum ope apud Cynoscephalas Philippo atque in solam Macedoniam redacto [7]) in Antiochum ipsorum consiliis jam maxime adversantem [8]), quocum ne simul cum duobus hostibus sibi res esset, in certamen

---

[1]) Polyb. XV, 21—23. Strab. XII. p. 563 Cas.

[2]) Polyb. XVI, 1a (Didot.); 14. 15.

[3]) ib. 1. Diodor. exc. de virt. et vit. p. 573 Wess. App. l. c.

[4]) Polyb. XV, 23. Liv. XXXI, 46.

[5]) Polyb. XVI, 2—9. 11. 24.

[6]) Liv. XXXI, 2 sqq. Just. XXX, 2—4. Polyb. XVI, 27. 34.

[7]) Polyb. XVIII, 27. Liv. XXXIII, 30. Plut. Flam. 10. App. Mac. 7. Zonar. IX, 16.

[8]) Liv. l. c. 20. 31. App. Syr. 1. 2.

descendere adhuc distulerant, sese converterunt: tanquam nil nisi hominum salutem spectarent, Graecas Asiae civitates liberas declararunt iisque et omnibus quae Philippi aut Ptolemaei fuissent excedere, Europa autem, in quam animum intendere videretur, prorsus abstinere regem jusserunt[1]). Cui dicto ut obtemperaret ille qui pristinum qualis sub Seleuco Nicatore fuerat regni splendorem, a libidinosis imbecillisque ejus successoribus obscuratum restituere conabatur, tantum aberat, ut in subigenda Asia pergeret ac trajecto Hellesponto Thraciae Chersonesum occuparet. Quin etiam quum Romani a Smyrnaeis, Lampsacenis, Alexandrinis Troadibus ut libertatem tuerentur orati infestatamque ipsam Europam videntes postulata sua repeterent, Asiae res nihil ad eos pertinere, Thraciam vero a Seleuco jam possessam jure se recuperare respondit[2]). Bellum contra eos quos solos quominus majora incrementa caperet, prohibere intelligeret, gerere paratus Ariarathem Cappadociae regem et Ptolemaeum connubiis sibi adjunxit, Eumenem II. tamen Pergamenum in partes suas trahere frustra studuit[3]). Callide Hannibal qui patria tum profugus ad eum pervenit, societatem cum Philippo et Carthaginiensibus ineundam atque Italiam petendam censebat; sed effecerunt Romani, ut Antiochus Poeno diffideret[4]), cujus consilium si secutus esset, eos tum fortasse ab Asia arcuisset. Jam ab Aetolis aegre ferentibus quod speratam auxilii contra Philippum lati mercedem a Romanis non accepissent, adversus illorum praesidia Graeciae

---

[1]) Polyb. l. c. 27. 30. Liv. l. c. 30. 34.

[2]) Polyb. l. c. 32 sqq. Liv. l. c. 38 sqq. XXXIV, 57. Diodor. exc. leg. p. 620 W. App. Syr. 3.

[3]) App. l. c. 4. Liv. XXXV, 13.

[4]) Liv. XXXIII, 49. XXXIV, 60. XXXV, 19. Just. XXXI, 4. App. l. c. 7—9. Plut. Flam. 20.

imposita accitus exeunte a. 192 in Euboeam trajecit [1]), ac per hiemem dum Romani summa cum industria bellum parabant, Chalcide nuptias celebrans et futura parum curans [2]) ipse perniciem sibi struit. Vere insequenti a M'. Acilio Glabrione cos. cum exercitu in Graeciam misso apud Thermopylas victus in Asiam se recepit, quo fugata etiam apud Corycum in Jonia et Sidam et Myonnesum ejus classe subactisque Aetolis Romani L. Cornelio Scipione duce a. 564 u. c. facile trajecerunt, ac pugna mox prope Magnesiam ad Sipylum commissa eum ita superarunt, ut turpissima pace inita iis quaecunque et in Europa et in Asia cis Taurum et Halyn sita teneret, postulantibus traderet [3]).

Veriti tamen ne imperii proferendi cupidi viderentur, terras tam iniquo modo ac tam parum justa causa comparatas in provinciae formam redigere non statim ausi sunt, sed exceptis nonnullis quas libertate, praestitae fidei praemio, donarunt civitatibus, Eumeni et Rhodiis, quorum imprimis auxilio erant adjuti attribuerunt, opportunam quidem exspectantes occasionem jure quodam quae jam liberalitatis gratique animi sub specie dederunt, resumendi.

Obtigerunt autem ex pacis formula per Cn. Manlium Vulsonem Galatarum debellatorem decemque legatos ad ordinandas Asiae res missos Apameae constituta a. 565

---

[1]) Polyb. III. 7. XVIII, 19. 20. 22. 28. Liv. XXXIII, 31. XXXV, 12. 33. 42 sqq. Just. XXX, 4. App. l. c. 12.

[2]) Polyb. XX, 8. Liv. XXXVI, 11. Just. XXXI, 6. App. l. c. 16. 20.

[3]) Liv. XXXVI, 14—36. 41—XXXVII. 45. App. l. c. 17—39. Just. l. c. 6. 7. Polyb. XXI, 13. 14. Plut. Flam. 15. 16. Aem. Paul. 7. Cic. pro Dejot. 13. pro Sest. 27. Gell. N. A. XII, 13, 25 sq. Diod. exc. leg. p. 621 W. Val. Max. IV, 1 ext. 9. V, 3, 1. Plin. h. n. XIII, 3. Aur. Vict. de vv. ill. 54. Rufi br. 12.

u. c. Eumeni, cui exiguum antea erat imperium[1]), Thraciae Chersonesus et oppida et agri quibus finibus Antiochus tenuerat, Phrygia minor ad Hellespontum, Mysia quatenus in Prusiae potestate erat[2]), Lydia, Caria septentrionalis inde a Lydiae finibus usque ad Maeandrum amnem porrecta, Phrygia major[3]), Milyas[4]), Lycaonia, Telmissus, Lyciae civitas[5]), Tralles, Ephesus, ex Graecis denique civitatibus, quae Attali I. stipendiariae fuerant aut cum Antiocho senserant. De Pamphylia quum Eumenes et Antiochi legati Apameae inter se disceptassent,

---

[1]) Secundum Strab. XIII, p. 624. Cas. regnum Pergamenum antequam a Romanis auctum est, Pergamo tantum paucisque urbibus in ora maritima inter Adramytenum et Elaïticum sinum sitis constabat nec plures certe inde ex quo Achaeus Antiochi III. praefectus Attalum I. Eumenis II. patrem in antiquos fines repulit, tributarias civitates videtur comprehendisse; Mysia enim finitima, quam quum Antiochus adversus Selgenses profectus esset, Attalus invasit (Polyb. V, 77), Eumenes vero demum continuata fortasse expeditione sibi adjunxit (Polyb. XXII, 27), a Prusia adempta est. (Liv. XXXVIII, 39.) Sociae Attali et amicae referuntur Cyme, Smyrna, Phocaea, Aegae Aeolidis, Temnus, Teos, Colophon, Lampsacus, Alexandria Troas, Ilium. cf. Mansonis comment. de Attalis, libro de Constant. M. vita conscripto apposit. p. 394 sqq, et Meieri dissert. de regno Pergameno in Encycl. Hal. Vol. XVI p. 358 sqq.

[2]) cf. ann. 1.

[3]) Huic postea adjecta est Phrygia Epictetus, de qua Prusias II. ex pacto cessit. cf. Strab. XII. p. 563 extr. qui ceterum h. l. ut et alibi Phrygiam Epictetum et Phrygiam ad Hellespontum confundit. cf. Mannert. Geogr. ant. T. VI. P. III. p. 87. 554 sq. Groskurd. translat. Strab. T. II. p. 504 ann 2. Perperam Strab. l. c. intellexit Forbiger. Geogr. ant. T. II. p. 388 ann. 64.

[4]) Haec Pisidiae pars inde a Termesso usque ad Sagalassum patebat. Strab. XIII. p. 631 coll. XII. p. 570. XIV. p. 666.

[5]) Telmissus sive Telmessus (v. Forbig. Geogr. ant. T. II. p. 255) in Cariae confinio sita erat. (v. Strab. XIV. p. 665. Plin. h. n. V, 28, Mel. I, 15.) Itaque a Cicerone ipsi Cariae adscribitur. (de divin. I, 41. 42.)

(l. II, c. 20) leguntur verbis: „Populus Romanus bonorum meorum heres esto", si e vero testamento deprompta essent, regem Romanos non regni sed modo bonorum heredes constituisse demonstraretur. Quod vero Plutarchus Eudemum quendam Pergamenum testamentum attulisse narrat, veritatis nullum est argumentum; imo etiam hominis fides atque integritas ex illo quo Attali diadema et purpuram Ti. Graccho tanquam futuro Romanorum regi tradidisse ferebatur sermone [1]), cui quamvis ineptus esset, certe tamen causa aliqua suberat, valde suspecta nobis videtur. Sine dubio Eudemus quum Tiberium nosset, etiam cum Gracchanae factionis hominibus versabatur, in quibus conventibus totum fortasse testamentum excogitatum est [2]).

Utcunque res se habet, Asia Attalica jam a Romanis vindicata ejusque civitatibus libertas data est. Tum vero Aristonicus regnum paternum tanquam jure sibi poposcit [3]) nec paucos regibus parere consuetos sui studiosos invenit, imprimis Phocaeenses et Leucaeos. Initio quidem pugna navali prope Cymen ab Ephesiis victus est, mox vero exercitu ex egenis hominibus servisque, quibus libertatem dedit, comparato Thyatira occupavit, tum Apollonidem aliasque civitates metu Romanorum ei resistentes, Myndum, Samum, Colophonem subegit [4]). Cujus conatus quominus statim comprimerent, Romani quum Gracchana seditione tum dubitatione de eligendo belli duce exorta prohibiti sunt. Ad privatum deferre bellum populus noluit, itaque ipse Africanus Numantinorum victor duas tan-

---

[1]) Plut. l. c.

[2]) cf. Meier. l. c.

[3]) Liv. epit. LIX: „Aristonicus Asiam occupavit, quum testamento Attali regis legata populo Romano libera esse deberet."

[4]) Strab. XIV. p. 646. cf. Groskurd. l. c. T. III. p. 28 ann. 1. Just. XXXVI, 4. XXXVII, 1. Vellej. l. c. Flor. l. c. Plut. Flam. 21. App. Mithr. 62.

tum tribus tulit. Consules a. 623 erant L. Valerius Flaccus, flamen Martialis, et P. Licinius Crassus Mucianus Dives, pontifex maximus. Crassus futuram praedam collegae invidens ei si a sacris discessisset mulctam dixit, quam populus remisit sed pontifici flaminem parere jussit illique quamquam nunquam pontifex extra Italiam profectus erat, bellum tamen gerendum dedit[1]), ad quod imprimis Nicomedes II. Bithynus, Pylaemenes Paphlagon, Mithidrates V. Ponticus, Ariarathes VI. Cappadox auxilia praestabant[2]). Exercitus autem a Thracibus, quorum magno numero Aristonicus adjuvabatur, profligatus et ipse Crassus qui elegantia, eloquentia, juris scientia magis quam bellica virtute insignis videtur fuisse[3]), ineunte a. 624 apud Leucas occisus est, neque omnino quidquam prius profectum, quam M. Perperna consul in Asiam pervenit. Qui Aristonicum Stratoniceae fame ad deditionem coegit captumque una cum opibus Attalicis Romam deportari jussit. Ut vero victoriae honorem in se transferret M'. Aquillius consul a. 625 quod belli reliquum erat malis artibus usus celeriter composuit, ac magna jam inter duos consules contentio de triumpho exstitit, quae quum M. Perperna in Italiam rediturus apud Pergamum morbo periret, subito diremta est. M'. Aquillius autem e decem legatorum sententia provinciam instituit[4]), cui continentis nomen a Romanis impositum[5]).

---

[1]) Cic. or. Phil. XI, 8. Liv. ep. l. Just. XXXVI, 4.

[2]) Strab. l. c. Just. XXXVII, 1. XXXVIII, 5. Eutrop. IV, 9.

[3]) Cic. de or. I, 37, 170. 50, 216. Brut. 33, 127. Valer. Max. VIII, 7, 6. Quintil. XI, 2, 50. Gell. N. A. I, 13. Just. XXXI, 4.

[4]) Strab. Liv. ep. Just. Flor. Eutrop. ll. cc. Valer. Max. III, 2, 12; 4, 5. Frontin. strateg. IV, 15. 16. Oros. V, 10. — Vellejus l. II, c. 38 Asiam a M. Perperna tributariam factam esse narrat, in quo id potissimum videtur respexisse, quod ille ad conficiendum bellum plurimum contulerat.

[5]) Strab. XIII. p. 624 extr.: „οἱ δὲ (Ῥωμαῖοι) ἐπαρχίαν ἀπέδειξαν

Caput secundum.

De Asiae provinciae finibus.

In instituenda provincia non ita actum est, ut Attalorum regni fines retinerentur, sed partes nonnullae detractae, aliae vero regiones additae sunt.

Thraciae quidem Chersonesus utpote ad Europam pertinens novae provinciae finibus exclusa est ac Macedoniae praesidi, cujus administrationi subjuncta Ciceronis aetate apparet [1]), jam tum assignata esse videtur. Telmissus Lyciis reddita [2]). Phrygiam majorem per M'. Aquillium largitionibus corruptum Mithridates V. Ponticus auxilii adversus Aristonicum lati mercedem accepit [3]). Lycaonia denique Ariarathis VI. eodem bello occisi filiis attributa est. Offendere possit quod Justinus qui haec nobis tradit, Ciliciam quoque Ariarathis filiis datam esse addit [4]); neque enim statim patet, quaenam fuerit illa Cilicia, quum

---

τὴν χώραν προσαγορεύσαντες ὁμώνυμον τῇ ἠπείρῳ." Itaque Ptolem. V, 2 sub tit. τῆς ἰδίως καλουμένης Ἀσίας provinciam recenset. Audiit provincia et ἡ περὶ s. ἀμφὶ τὸ Πέργαμον Ἀσία (App. Mithr. 11. 118. al.) vel ἡ περὶ Ἰωνίαν Ἀσία (App. B. C. III, 2. Dio Cass. XXXVIII, 38 p. 180 Reim.). — Varro de ling. lat. l. V c. 3: „Ut Asia, sic caelum dicitur modis duobus: nam et Asia quae non Europa, in qua etiam Syria; et Asia dicitur prioris pars Asiae, in qua est Jonia, ea provincia nostra." Vulgo edd. ex codd. pro ea praebent ac, quod, quum Jonia semper ad Asiam prov. pertinuerit, non ferendum. Ea scripsi ex sententia Lachmanni v. ill. quocum hac de re locutus sum. Amplius igitur enuntiato „ea provincia nostra" explicatur, quaenam pars Asiae κατ᾽ ἐξοχὴν Asia dicatur.

[1]) cf. Cic. orat. in Pison. 35, 86.

[2]) Strab. XIV. p. 665.

[3]) Justin. ll. cc. App. Mithr. 57.

[4]) Justin. XXXVII, 1.

neque de ea trans Taurum neque de intima Cappadociae parte [1]), quarum neutra unquam in Attalorum potestate fuit, cogitari liceat. Sed lucem rei affert Strabo, qui donationem illam respiciens Ciliciae regionem inde a Castabalis et Cybistris usque ad Derben patentem Cappadociae regibus ante Archelaum a Romanis esse traditam dicit [2]) eamque alio loco ipsi Lycaoniae adnumerat [3]), unde Lycaoniam meridionalem interdum etiam Ciliciae nomine esse comprehensam, ac Justini Ciliciam partem tantum Lycaoniae significare colligimus. — Caria praeter Rhodiorum Peraeam, quae inde a Daedalis usque ad Phoenicem montem ejusdemque nominis castellum patebat [4]), provinciae accessit ac paucis tantum de quibus proprio capite agemus civitatibus pristinae libertatis species servata, ita quidem ut provincia includerentur.

Asia igitur qualis a M'. Aquillio instituta est, Phrygiam minorem ad Hellespontum cum adjacentibus Propontidis insulis, Mysiam, Aeolidem, Lydiam, Joniam, Doridem praeter Rhodum, Cariam excepta Peraea, Milyadem, reliquam Pisidiam complectebatur. Mithridate V. Euergeta quod circa a. 634 u. c. evenit [5]), mortuo, Phrygia major Mithridati Eupatori pupillo ejus filio a Romanis erepta aliquamdiu propriis legibus atque immunitate utebatur [6]),

---

[1]) Strab. XII, p. 534 extr. p. 537 extr. Ptolem. V, 6.

[2]) XII, p. 535 in. cf. Mannert. T. VI. P. II. p. 221. Non recte Groskurd. l. c. T. II. p. 445 ann. 3 Strabonis locum ad Pompeji donationem refert, qua Ariobarzani a. 688 u. c. praeter alias Ciliciae civitates Castabala ad sinum Issicum sita obtigerunt. App. Mithr. 105. De his vero Strabo non cogitavit. cf. ej. geogr. l. XII, p. 537.

[3]) XII, p. 569.

[4]) Strab. XIV, p. 651 sq. Stephanus Byz. s. v. Δαίδαλα. Ptolem. V, 3 Daedala Lyciae adscribit.

[5]) cf. Woltersdorf. comment. de vita Mithr. M. (Gotting. 1813) p. 26 sq.

[6]) App. Mithr. 11–13. 15. 56. 57. Just. XXXVIII, 5.

tandem vero Asiae administrationi etiam subjuncta est. Quod quidem jam ante bellum Mithridaticum primum factum videtur. Namque in Livii libri LXXVI. epitome Mithridates a. 666 u. c. Phrygiam provinciam populi Romani magno cum exercitu intrasse dicitur, quae, quum Phrygia nunquam propria provincia fuerit, certo ita intelligenda sunt, ut ea tum Asiae partem effecerit. Ac revera nisi Phrygiae civitates administrationis Romanae incommoda jam tum perpessae fuissent, non tam facile Mithridati se tradidissent nec tam graviter uno quasi consensu Romanos offendissent, ut nulla inter eos libera relinqueretur. Ex quo igitur Phrygia major accessit, Asia orientem versus Galatiae, Cappadociae, Lycaoniae montanisque Isaurorum regionibus confinis erat; Galatiae adjacebant Abbassus [1]) et Amorion [2]) Phrygiae oppida, Cappadociae Tatta lacus [3]), Lycaoniae Tyriaeum [4]); inter Pisidiam et Isauriam, quod illud tempus attinet, fines accurate dici non possunt. Meridiem versus provincia iterum attingebat Lycaoniam, cujus in illa parte celebrantur Laodicea Catacecaumene, Savatra [5]), Coropissus [6]); deinde Isauria, Pamphylia, in cujus finibus Selge, Pednelissus,

[1]) Liv. XXXVIII, 15.

[2]) Strab. XII, p. 576.

[3]) Strab. XII, p. 568.

[4]) Strab. XIV, p. 663.

[5]) Strab. XII, l. c. ubi quidem scribitur Σόατρα. Sed praetulimus numorum lectionem (cf. Eckhel. D. N. P. I. Vol. III. p. 30. Mionnet. descript. de med. ant. T. III. p. 537. Suppl. T. VII. p. 149.) et Ptolemaei l. V, 4 extr. Scripturae Savatra favet etiam Sabatra Tabulae Peut. et Σάβατρα Hieroclis Synecd. p. 395 Bekk.

[6]) Strab. XII. et XIV. ll. cc. Pro Codd. lectione Κοροπασσός Coropissus dedimus ex numis. v. Mionn. T. III. p. 533. Suppl. T. VII. p. 145. Apud Ptolemaeum Ἀδοπισσός in Κοροπισσός mutandum. cf. Kiepert. in app. ad. Franzii libell. „Fünf Staedte und fünf Inschr. von Klein-Asien p. 35 ann. (**).

Termessus, Pisidiae civitates erant[1]), Lycia, mari mediterraneo terminabatur, ab occidente mari Aegaeo et Hellesponto, a septentrionibus Propontide et Bithynia. Ibi Mysiam et Bithyniam Rhyndacus fluvius[2]), Phrygiam Epictetum et Bithyniam Galatiae finitimam Sangarius disjungebat.

Postquam Cilicia imperio Romano parere incepit, Asiae fines aliquamdiu mutabantur; praesidis enim ornandi causa illi provinciae Phrygia et Pisidia quae tres effecerunt dioeceses[3]), interdum additae sunt. Quas quidem Cn. Cornelius Dolabella, cujus proquaestor Verres utramque regionem frumento imperando aestimandoque vehementer afflixit, a. 674 et 675 u. c. una cum Cilicia propraetor obtinuit[4]), item P. Servilius Vatia Isauricus proconsul, ejus successor a. 676—680[5]), et aliquanto post P. Cornelius Lentulus Spinther a. 698—700[6]), Appius Claudius Pulcher a. 701—703[7]), M. Tullius Cicero a. 703

80 u. 79.

[1]) Strab. XII, p. 569. 571. XIII, p. 631. XIV, p. 667.

[2]) Plin. hist. nat. V, 40 (32).

[3]) cf. p. 20 ann. 1.

[4]) Cic. in Verr. Act. II, 1, 38, 95. cf. Baiteri Onom. Tull. P. II. p. 174b sq.

[5]) Rufi brev. 12. cf. Fischeri Ann. hist. Rom. a 676 u. c. Baiter. l. c. p. 544b sq.

[6]) Lentulum enim cujus proconsulatum Ciliciensem Ciceronis epistolae testantur (v. Baiter. l. c. p. 180 sq.) numi cistophori Laodicenorum et Apamenorum Phrygiae exhibent inscripti: P. LENTVLVS. P. F. IMP. sive LENTVLVS. IMPERATOR. v. Eckhel. D. N. P. I. Vol. IV. p. 360. Mionnet. descr. de med. ant. T. IV. p. 227 n. 191. p. 313 n. 674.

[7]) v. Cic. ad fam. l. III. imprimis ep 8. Numi Apamenses et Laodicenses praebent: AP. PVLCHER. AP. F. PRO. COS. vel: PVLCHER. A. F. IMP. vel: PVLCHER. IMP. v. Eckhel. l. c. Mionnet. l. c. p. 227 n. 192. 193. p. 313 n 675. Spanhem. de usu et praest. num. T. II. p. 176.

—704[1]), Q. Marcius Philippus a. 709 aut 710[2]). Contra

---

[1]) Cic. ep. ad P. Servil. Asiae procos. (ad fam. XIII, 67): „Ex provincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas fuisse" etc. ad Att. V, 21: „Idibus Febr. forum institueram agere Laodiceae Cibyraticum" (ad quod Pisidia videtur pertinuisse) „et Apamense, ex Id. Mart. ibidem Synnadense" etc. cf. ib. 14. 15. 16. 20. VI, 1. 2. ad fam. III, 8. XV, 4. de divin. I, 1, 2. Numus Laodicensis praebet: M. TVLL. IMP. v. Eckhel. l. c. n. 676.

[2]) P. Manut. in illustranda Cic. epp. ad fam. l. XIII, 73a epistolis quas Cicero ad Quinctium Gallium et Q. Philippum scripsit (l. XIII, 43. 44. 73. 74.) inter se comparatis Q. Philippum Asiae proconsulem fuisse ex eo colligit, quod Cicero utrique L. Oppium, L. Egnatii equitis Romani procuratorem Philomeli Phrygiae oppido negotiantem commendarit, Philomelium autem ad Asiam provinciam pertinuerit. Hoc tamen argumentum, quum aeque ad Ciliciae proconsulem quadret, non sufficit. Jam quidem Cicero ejusdem Egnatii negotia Appulejo Asiae proquaestori commendat (ad fam. XIII, 45), ad quod Meierus l. c. p. 421 provocans eandem quam Manutius sententiam tueri studet. Sed Appulejum Q. Philippi proquaestorem fuisse non probavit. Philippus, ut ex altera epistolarum ad eum scriptarum (l. XIII, 74) apparet, Antipatro Derbetae, meridionalis Lycaoniae Ciliciae continentis tyranno vehementer succensuit ipsosque ejus filios in potestate habuit; hostiliter igitur cum eo videtur congressus esse. Quid vero rixarum Asiae praesidi cum Antipatro fuerit, qui nulla parte eam provinciam attigerit? Contra inter Ciliciae praesides et Antipatrum de finibus contentiones exoriri facile potuerunt; fortasse etiam illi tributum ab eo exegerunt, quod pariter atque Pisidarum tyranni pro libertate sua Romanis pependerit. (cf. Strab. XII, 7 p. 571. Liv. XXXVIII, 14. 15.) Unde denique Cicero Antipatrum, quocum non solum hospitio sed etiam familiaritate conjunctus erat, nisi ex proconsulatu suo novit? Quae quum ita sint, quin Philippus Ciliciam eamque tribus dioecesibus Asiaticis auctam obtinuerit, non dubitamus. Eum autem post Ciceronem ibi fuisse inde quod hic in ep. laudata, quae scripta est post ipsum Philippi reditum, hospitii illius atque familiaritatis, quae sibi cum Antipatro intercedat, mentionem facit, elucet; itaque quum a. 705—706 L. Sestius (cf. Pigh. Ann. T. III. p. 441 sq.), a. 706—707 Cn. Domit. Calvinus (v. Hirt. bell. Alex. 34) Ciliciam rexerit, a. 708 Phrygia Asiae adjuncta fuerit (v. Cic. ad fam XIII, 67),

L. Valerio Flacco[1]) Q. Tullio Cicerone[2]), C. Fabio (Adriano)[3]), T. Ampio Balbo[4]), C. Fannio[5]), P. Servilio Isaurico[6]) praesidibus, quorum primus a. 692—693, alter a. 693—696, tertius a. 696—697, quartus inde usque ad a. 698, quintus a. 705, sextus a. 708 munere functus est, Asia pristinos fines certo habuit neque iterum post a. 710 inter duos praesides videtur esse divisa.

Anno 718 quum Antonius ex arbitrio terras distribueret regesque constitueret, Amyntas qui Dejotari Galatarum regis scriba et dux fuerat atque in pugna Philippensi Bruto deserto ad contrariam partem transierat[7]), praeter Galatiam Lycaoniamque et Isauriam cum Pamphyliae quibusdam oppidis et agris has quoque Asiae provinciae regiones accepit: Phrygiae partem Galatiae a meridie adjacentem, quae exinde Lycaoniae nomine comprehensa est, deinde Phrygiae *τῆς παρορείου* quaedam et Pisidiae tractum inde ab Apolloniade prope Apameam Ciboton sita usque ad Antiochiam patentem, denique Pisidiam[8]). Quarum regionum nulla unquam Asiae reddita, sed mortuo Amynta a. 729 novae quae tum confecta est, Galatiae provinciae accesserunt[9]), quae secundum Plinii[10])

Cicero denique a. 711 mortuus sit, Q. Philippum a. 709 aut 710 Ciliciae proconsulatum gessisse intelligitur.

[1]) v. Cic. or. pro Flacco.

[2]) Cic. ep. ad Q. fr. I, 1. 2.

[3]) v. Barthol. Borghesii observatt. numism. Dec. VI. 9 in Diar. Arcad. T. XIV. p. 382 sqq.

[4]) v. ejusd. obs. num. Dec. V. 8 l. c. p. 374 sqq.

[5]) v. Dec. V, 10 l. c. p. 387 sqq.

[6]) v. Cic. epp. ad fam. l. XIII, 67.

[7]) Dio Cass. XLVII, 48 p. 525 R.

[8]) Strab. XII, p. 569 coll. Dion. Cass. XLIX, 32 p. 592. L. III, 26 p. 721.

[9]) Strab. l. c. et p. 571. XIV, p. 840 coll. Dion. Cass. l. c.

[10]) hist. nat. V, 42.

descriptionem Milyas circa Barin habitantes et Cabaliam partim ad Lyciam partim ad Pamphyliam pertinentem [1]) et Cyllanticum Oroandicumque tractum attigit. Cyllanticum quidem ignoramus; Oroandenses autem sive Orondici qui olim soluta magna pecunia Romanorum amicitiam a Cn. Manlio Vulsone impetrarant [2]), a Ptolemaeo [3]) cum oppidis Misthio et Pappa inter Phrygiam Pisidicam et Isauriam ponuntur.

Apollonia igitur vel Apollonias, Antiochia Pisidiae, Seleucia, Neapolis, Amblada, Sagalassus, Cremna, Selge, Termessus jam Galatia provincia continebantur; Milyae qui circa Barin erant extra eam stabant. Posteriori autem tempore, quantum ex Ptolemaeo [4]) provinciarum ordinem qualis Hadriani et Antonini Pii aetate erat, secuto intelligitur, Phrygia Pisidica inde ab Antiochia usque ad Lysinoen [5]) et Cormasa ac Pisidia tota Pamphyliae praefecturae adscriptae sunt. Tyriaeum, cujus incolae Tyriensium nomine apud Plinium [6]) inter populos ad dioecesem Apamensem Lycaoniae finitimam pertinentes referuntur, idem Ptolemaeus [7]) hujus ipsius terrae civitatibus Galatiae continentis adnumerare videtur; vix enim ejus *Τετάριον* a Tyriaeo differt [8]). Ceterum Asiae fines iidem, qui antea erant, neque aliud quidquam ante Diocletianum mutatum putamus.

Lycaoniam postquam per tempus aliquod in Cappadociae regum potestate fuerit, provinciae accessisse non-

---

[1]) Plin. h. n. V, 28 coll. l. c.

[2]) Polyb. XXII, 5. Liv. XXXVIII, 18.

[3]) l. V, 4 extr.

[4]) ib. 5.

[5]) Ita quidem oppidi nomen scribitur apud Polyb. XXII, 19 et Liv. XXXVIII, 15; apud Ptolem. l. c. *Λυσινία*.

[6]) h. n. V, 25.

[7]) V, 4.

[8]) cf. Kiepert. in app. ad Franzii libell. „fünf Städte“ p. 36 ann. (*).

nulli viri docti [1]) ex duobus Plinii locis [2]) falso collegerunt. Prior quidem ita se habet: „Insident verticem" (Tauri) „Pisidae — hos includit Lycaonia in Asiaticam jurisdictionem versa, cum qua conveniunt Philomelienses, Tymbriani, Leucolithi, Pelteni, Tyrienses." Quae quomodo aliud quid significare possint, quam Pisidas ea Lycaoniae parte includi, quae Asiaticae jurisdictioni sive dioecesi, ad quam Philomelienses etc. pertineant, confinis sit, prorsus non intelligimus. Nunquam „versum esse in regionem aliquam" significat „ad eam pertinere."

Altero loco, qui pro illa virorum doctorum opinione loqui videri possit, Plinius ex civitatibus dioecesem Synnadensem efficientibus Lycaones affert. Quos tamen ad Lycaoniam supra memoratam nequaquam pertinere jam ex eo patet, quod conventus Synnadensis regionem ab illa terra aversam ac Bithyniae magis et Mysiae Lydiaeque vicinam occupavit. Proxima autem Lycaoniae, ut jam dictum, conventus Apamensis erat; itaque ad hunc potius Lycaoniae civitates si omnino Asia provincia comprehensae fuissent, pertinuissent. Plinius in enumerandis jurisdictionis Synnadensis populis post Lycaones Appianos, Eucarpenos, Dorylenses commemorans a meridie ad septentriones aperte progreditur, itaque non dubium nobis est, quin isti qui olim ex Lycaonia coloni in Phrygiam migrasse gentisque nomen similiter atque in Lydia Nacrasitae et Hyrcani Macedonum [3]) retinuisse videntur, Synnadis meridiem versus habitarint iidemque sint quos Ptolemaeus in Phrygiae descriptione affert [4]) et Hierocles in Phrygiae salutaris populis recenset [5]).

[1]) Sigon. de ant. jure provv. l. c. 20. Harduin. ann. ad Plin. h. n. V, 25 et 29. Eckhel. D. N. P. I. Vol. IV. p. 279. Hopfensack. in libro: „Staatsrecht der Unterthanen der Römer." p. 296. Meier l. c. p. 420.

[2]) h. n. V, 25 et 29.

[3]) cf. Droysen. Hellenism., T. II. p. 674.

[4]) V, 2.

[5]) p. 395, 7 Bekk. cf. Wessel. ann.

Ad illum virorum doctorum errorem plane depellendum, quae fuerit Lycaoniae sors paucis exponemus.

Turbis per Mithridatem M. in Cappadocia excitatis principibus quibusdam indigenis contigisse videtur, ut singulas regni partes ad se raperent locorumque natura fortasse non minus quam temporibus adjuti sibi servarent. Talis quidem, qui extrema reip. aetate meridionalem Lycaoniae tractum circa Derben et Laranda obtinuit, Antipater Derbetes erat [1]) jam supra memoratus. Iconium autem Ciceronis tempore sub Ciliciae praesidis administratione erat atque ut videtur ad dioecesem Isauricam [2]) pertinebat. a. 718 Lycaonia in Amyntae potestatem venit [3]), qui Antipatrum Derbetam interfecit [4]) ac quatuordecim civitatum, quarum caput Iconium, tetrarchiam a Plinio memoratam [5]) videtur instituisse. A Galatia provincia in quam post ejus mortem regnum redactum est, septentrionalis Lycaoniae tractus, ex quo oppida Hyde [6]), Petenissus, Ecdamua [7]), Pegella, Congustus, Perta [8]), Savatra [9]), Caballucome, Laodicea Catácecaumene, Vasada, alia afferuntur [10]), non recessit. Iconium autem aliquamdiu Polemoni I. Ponti regi parebat [11]) atque Antoninorum aetate cum Coropisso [12]), Parlaide, Derbe, Larandis, reliquis Cap-

---

[1]) Strab. XII, p. 535 in. p. 569 in. XIV, p. 679.

[2]) Cic. ad Att. V, 21, 7.

[3]) Itaque apellatur *Λυκαόνων βασιλεύς*. Plut. Ant. 61.

[4]) Strab. XII, p. 569.

[5]) h. n. V, 25.

[6]) Plin. l. c.

[7]) Ptolem. V, 4. Tab. Peut. pro Ecdamua habet Egdaua; eundem locum significare videtur *Γλαύαμα* Hieroclis Synecd. p. 395 Bekk.

[8]) Ptolem. l. c. Tab. Peut.

[9]) cf. supra p. 18 ann. 5.

[10]) Strab. XIV, p. 663. Ptol. l. c. Tab. Peut.

[11]) Strab. XII, p. 568.

[12]) cf. supra p. 18 ann. 6.

padociae provinciae adjunctum erat[1]. Apud Plinium[2]) quidem inter Ciliciae civitates Iconium legitur, cujus urbis quum nullum ibi reperiatur vestigium, Lycaoniae Iconium sub Ciliciae praeside fuisse colligere quis possit; sed nos, quamdiu certiora testimonia deficiunt, a tali conjectura abhorremus; quin etiam Plinium antiquam provinciarum descriptionem secutum pro levitate sua et confusione id quod Ciceronis aetate valuit, ad suum tempus putamus transtulisse.

Lycia Asiae provinciae pars nunquam apparet; postquam a Claudio libertate privata est a. 796 u. c., cum Pamphylia a proprio praefecto regebatur[3]).

Contra Rhodus diversis quibus libertate carebat temporibus, sub Claudio et Vespasiano[4]) fortasse Asiae proconsuli parebat; fieri tamen etiam potuit, ut una cum propinqua Lycia et Pamphylia administraretur. Peculiarem provinciam effecisse non videtur, quamquam a Suetonio[5]) eumque ad verbum secuto Eutropio[6]) inter sociorum terras a Vespasiano in provinciarum formam redactas nominatur. Quod vero certo non ita intelligendum, tanquam proprium ea praesidem habuerit, cujus rei nullum omnino exstat vestigium, sed ut Byzantium, Samos, Lycia ab iisdem scriptoribus in novarum provinciarum numero commemoratae, Rhodus etiam tributaria facta alii provinciae, aut Asiae aut Pamphyliae accesserit.

Ex Ciceronis quidem loco[7]) Asia minori quam de-

---

[1]) v. Ptol. V, 6.

[2]) h. n. V, 22.

[3]) v. Dion. Cass. l. LX, 17 p. 955 R. Suet. Claud. c. 25. cf. Spanhem. Orb. Rom. p. 250 ed. Heinecc. Mannert. Geogr. T. VI. P. III. p. 217.

[4]) v. Spanhem. l. c. p. 250. 261. 263. 265.

[5]) Vespas. c. 8.

[6]) VII, 13.

[7]) or. pro Flacco c. 27, 65.

scripsimus ambitu fuisse possit videri. Asianos enim, qui testimonii contra L. Valerium Flaccum dicendi causa Romam venerant, adlocutus „Asia", inquit, „vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia", omissis partibus reliquis. Sed quid hac enumeratione spectarit, respicere debemus; voluit exiguam tenuissimamque testium auctoritatem demonstrare, itaque quum in terrarum illarum incolis macula quaedam insideret, has ipsas neque alias provinciae partes protulit.

Caput tertium.

De praeside[1]) ejusque legatis.

Reipublicae tempore plerumque propraetor Asiae sortito praefuit eamque nisi prorogata est, per unum annum obtinuit. Quum bellum ibi gerendum erat, consul aut proconsul mittebatur; qui vero pacatam provinciam proconsules rexerunt, fere omnes consulatum non gesserant, sed praetorii cum potestate proconsulari illo nomine appellati sunt[2]). Pompejo devicto Caesar Asiam legato ordinandam tradidit[3]), ac postea Antonius triumvir ut in alias quae ei ex imperii partitione cum Octaviano et Lepido facta obtigerant Orientis provincias, sic in Asiam quoque praesides ab ipso electos misit[4]). a. 727 Augustus, quum ut

---

[1]) De generali hoc omnium qui provincias regebant, nomine, cui Graecorum vox ἡγεμών vel ἄρχων respondet, cf. Creuzer. Antiqq. Rom. p. 275 ed. II.

[2]) cf. Soldan. quaest. de aliquot partibus procoss. et propr. c. V. (Hannov. 1831.)

[3]) Cn. Domitio Calvino. v. Hirt. B. Alex. 34. Cic. pro Deiot. 5, 14. 9, 24.

[4]) Munatium Plancum a. u. c. 713. (v. Appian. B. C. V, 32. Dion. Cass. XLVIII, 24 p. 543. 26 p. 545) P. Ventidium Bassum

totus exercitus in suis partibus esset, senatus autem inermis imbellisque fieret, provincias turbulentiores utpote praesidiis firmandas sibi sumeret, pacatiores autem quippe quae sine armis facile obtineri possent, senatui populoque assignaret, Asiam in has ipsas, quae senatus populique provinciae appellatae sunt, retulit atque ut pariter atque Africa a consularibus qui deinceps de iis sortirentur annuumque gererent magistratum, administraretur constituit. Utramque igitur exinde proprii proconsules regebant, duodecim fascibus insignes; contra decem reliquarum provinciarum praesides qui e praetoriis viris sorte legebantur et sex fasces habebant, proconsulum nomen tantum ferebant [1]). Interdum autem Caesar propraetores vel legatos propraetore, qui quoniam ab eo designabantur ac ceterum soli ejus provinciis praeerant, legati Augusti pro praetore sive legati Augusti, legati Caesaris, legati Imperatoris dicebantur et plures plerumque per annos munere fungebantur [2]), Asiae non secus atque aliis populi provinciis praefecit [3]). Quod imprimis, quum ea terrae motu vastata vel alia calamitate afflicta, ut amissa recuperaret, imperio facile ferendo indigeret, factum videtur. Molestius enim omnino quam legatorum Caesaris proconsulum erat imperium, quippe qui ampliorem dignitatem majoremque cohortem habentes, majores provincialibus sumptus facerent ac mero jam adventu eorum opes debilitarent [4]). Quae quidem impensae eo magis premebant, quo graviora vectigalia pensitabantur.

---

a. u. c. (v. Dion. Cass. l. c. c. 39—41 p. 565 extr. sqq. Appian l. c. 55 Plut. Anton. 33.), C. Furnium a. u. c. 718. (v. Appian. l. c. 137 sqq. sq. Dion. Cass. XLIX, 17 sq. p. 582 sq.)

[1]) Strab. XVII, p. 840 Cas. Dio Cass. l. LIII, 12 sqq. p. 703 sq. Sueton. Octav. c. 47.

[2]) cf. Creuzer antiqq. Rom. p. 273.

[3]) v. Dion. Cass. l. c.

[4]) cf. Spanhem. de usu et pr. n. T. II. p. 579 sq.

Ab Asiae praeside interdum etiam Bithynia ex quo Nicomedis testamento in Romanorum potestatem pervenit, administrata est, ac bellis factum, ut unus praeses utramque provinciam cum Cilicia obtineret. Semel senatus Asiam cum reliquis terris transmarinis, imperio Rom. subjectis, duobus dedit, Bruto et Cassio [1]). a. 731 ineunte ex Augusti voluntate Agrippa summam Orientis provinciarum curam suscepit, ita ut qui iis praeessent, jam ex ejus auctoritate agerent [2]). Ipse tunc in Orientem profectus Lesbi aliquamdiu degebat [2]), cujus rei memoriam quum aliae civitates tum Mytilenaei, Ilienses, Pariani monumentis numisque suis celebrarunt [3]). Rediit a. 733, quo urbi praefectus est, sed retinuit et illam potestatem, quam quasi ejus loco Augustus exercuit, qui a. 734 et in Asia et in Bithynia et in Syria omnia constituit [4]). Anno demum 738 Agrippa iterum in Orientem se contulit [5]), unde perlustrata posterioribus a. 740 mensibus Asia redux hujus et reliquarum illius tractus provinciarum cura se abstinuit [6]). Desiit tum etiam illa, quam haud dubie administrationis causa fecerat, anterioris et posterioris Asiae minoris partis separatio a Plinio memorata [7]). Similem

---

[1]) v. App. B. C. III, 63. cf. ib. 64. IV. 1 et 94. Cic. Phil. or. XI, 12. 30.

[2]) Joseph. A. J. XVI, c. 3, 3. c. 6, 4. Vellej. II, 93. Dio Cass. LIII, 32 p. 726 R.

[3]) Dio Cass. l. c.

[4]) Boeckh. Corp. inscr. gr. n. 2176. 3609. Mionnet. descr. de med. ant. T. II. p. 579 n. 429.

[5]) Vellej. II. 94. Joseph. Antiqq. Jud. XVI, 2, 1. Dio Cass. LIV, 28 p. 758.

[6]) Joseph. l. c. 3, 3 extr. Dio Cass. LIV, 28 p. 758.

[7]) hist. nat. V, 28: „in duas eam" (Asiam propriam) „partes Agrippa divisit: unam inclusit ab oriente Phrygia et Lycia, ab occidente Aegaeo mari, a meridie Aegyptio, a septentrione Paphlagonia. Hujus longitudinem CCCCLXX mill. passuum, latitudinem CCCXX mill. fecit. Alteram determinavit ab oriente Armenia minore, ab occidente Phrygia, Lycia, Pamphylia, a meridie mari Pamphylio, longam DLXXV mill. passuum, latam CCCXX mill." Ex quibus verbis Meierus l. c.

quam Augustus Agrippae, a. 770 Tiberius per senatum Germanico dedit potestatem. Quum enim Germanicum dolo simul et casibus objecturus turbas a Parthis in Oriente excitatas [1]) nonnisi ejus sapientia posse componi apud patres disseruisset, ei Asia cum reliquis provinciis transmarinis permissa majusque imperium quoquo adiisset, quam iis qui sorte aut missu principis obtinerent, datum [2]). Una cum uxore profectus ineunte vere a. 771 ex Euboea Lesbum trajecit, ubi Agrippina Juliam peperit [3]). In cujus rei memoriam Mytilenaei numos signarunt, in quorum parte adversa Germanici caput nudum conspicitur cum inscriptione: *ΘΕΟΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ.*, in aversa caput Agrippinae cum inscriptione: *ΘΕΑΝ. ΑΙΟΑΙΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΥΤΙ* [4]). Relicta Lesbo Germanicus veteres locos et fama celebratos noscendi cupidine incensus Asiam intravit provinciamque internis controversiis aut magistratuum injuriis fessam refovit. Ab Ilio Colophonem ut Clarii Apollinis oraculo uteretur se contulit, mox in Syriam [5]), unde non rediit; nam a. 772 Antiochiae veneno ut videtur a Cn. Pisone Syriae legato accepto periit [6]).

De praesidis negotiis ex iis quae supra diximus, jam patet, reipublicae tempore eum imperium ac potestatem civilem, sub imperatoribus hanc alteram tantum, quae

---

p. 420 per errorem collegit, Agrippam Asiam provinciam in duas partes divissise. Obiter moneo, Plinium mare Aegyptium et Pamphylium confudisse.

[1]) Tac. Ann. II, 1—4.

[2]) ib. 5; 43.

[3]) ib. 54.

[4]) Eckhel. D. N. Vol. II. p. 503. Mionn. descr. T. III. p. 49 n. 122. Suppl. T. VI. p. 65 n. 88 sq. De Agrippina exinde Cereris nomine a Lesbiis culta ejusque quod propter fecunditatem tulit, epitheto *καρποφόρος* cf. Boeckh. Corp. inscr. gr. n. 2175. 2183. 35[illegible]8.

[5]) Tac. l. c.

[6]) Tac. Ann. II, 69—73. 83. Dion. Cass. l. LVII, 18 p. 866. Joseph. Antiqq. Jud. l. XVIII, 2, 5.

jurisdictione quaestionibusque exercendis et administratione continebatur, tenuisse. Pariter atque aliarum provinciarum praesides eum quaestor, legati, omne ministrorum genus comitabantur. Legatis reipublicae aetate, cum pacata erat provincia, duobus vel tribus utebatur, bello tot certe, quot legionibus. Augustus ut Asiae et Africae proconsules tres ex consularibus legatos sive adsessores (παρεδρεύοντας), qui ab ipso imperatore probarentur, acciperent, a. 727 constituit [1]). Hoc tamen breve tantum per tempus observatum videtur.

Administrationis annus non Calendis Januariis, sed quo die praeses provinciam attigit, incepit. Quod reipublicae quidem tempore mense Maio fieri solebat, sub imperatoribus autem posterius, circa exeuntem Julium [2]).

Moris erat, ut praeses primum Ephesum appelleret ibique primariam suam sedem collocaret [3]), dum Antoninus Pius ad Asianorum desideria proconsuli illud faciendi necessitatem imposuit [5]). Quare Ephesus τῆς πρώτης καὶ μεγίστης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας titulum adscivit [5]).

Salarium, quod ab imperatoribus proconsulibus prohibitis quominus provinciam obtinerent, offerebatur, si id quod Macrino imperatore valebat [6]), ad universos referre licet, decies H-S summam effecit.

---

[1]) cf. Dion. Cass. l. LIII, 14 p. 707.

[2]) cf. ej. l. LVII, 14, p. 859; l. LX, 11 p. 950.

[3]) Cic. ad Att. V, 13: „Decumani ac si venissem cum imperio quasi Ephesio praetori se alacres obtulerunt."

[4]) Ulpian. l. I. de off. procos. in Dig. l. tit. XVI, 4 §. 5: „Quaedam provinciae etiam hoc habent, ut per mare in eas proconsul veniat, ut Asia scilicet; usque adeo, ut Imperator noster Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripserit, proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare, καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον primam attingere."

[5]) v. Boeckh. C. I. n. 2990. cf. Krausii Neocor. p. 66. Eckhel. D. N. V. Vol. IV p. 282.

[6]) v. Dion. Cass. l. L. XXVIII exc. c. 22 p. 1330 Reim. cf. ej. ann. ad h. l. lin. 22, 43. (ed. Sturz. T. VI. p. 864, 116 et 118.)

THESES.

I. ~~Insularum provincia non ante Diocletianum facta est.~~
II. Non plures videntur fuisse civitates iuris Italici, quam quae in Dig. l. L. tit. XV. (de censibus) allatae sunt.
III. Apud Dion. Chrysost. orat. XXXV. (Celaenens.) p. 334 v. 21 (Morell.) codd. lectio „διὰ πλείονος χρόνου" pro qua Reiskius proposuit „διὰ μείονος χρόνου", retinenda.
IV. Romanos ad Alexandrum M. legatos Babylonem misisse, mera fabula iudicanda.
V. Diversae interpretandorum mythorum ineundae sunt rationes.
VI. Verba quae in Platonis Symp. p. 178 B. leguntur, „αὐτὰρ ἔπειτα — φησί" deinde „Παρμενίδης — πάντων" interpolata potius quam a Platone videntur profecta.

VITA AUCTORIS.

Guilelmus Richardus Bergmann in Nova Sulza superiori Thuringiae vico prope Eckartimontium oppidum sito a. d. XV. Kal. Maj. a. MDCCCXXI. natus, patre Theophilo Guilelmo Bernhardo, patriae salinis praefecto, matre Friderica e gente Liebeskind, quibus adhuc vivis gaudeo, fidem profiteor evangelicam.

Absoluto quinto aetatis anno ludimagistri scholam frequentabam, inde a nono usque ad tertium decimum fere domestica duorum praeceptorum institutione utebar, Car. Rostii et Ferd. Wendelii sacerdotum Sulzensium, quos pio gratoque animo colere non desinam. Pridie Non. Apriles a. MDCCCXXXIV. in Scholae Portensis classem tertiam Car. Kirchnero rectore receptus Graecarum et Latinarum literarum amore incensus sum, exstititque perpetuo iis operam navandi consilium, quod inde ex quo acutissimum C. F. Steinhartum, virum solida doctrina aeque ac singulari humanitate excellentem de Platonis philosophia, de Sophoclis tragoediis, de antiquitatibus Graecis disserentem audivi, magis confirmatum est. Infirma valetudine saepius impeditus, quominus omnia quae vellem,

consequerer, postquam maturitatis testimonium accepi, a. d. XVII. Kal. Apr. a. MDCCCXLI. scholam reliqui atque exeunte mense Majo Jenam migravi, philologiae simul et theologiae operam daturus. Itaque lectionibus interfui, quas ill. Goettlingius de grammatica graeca, Baumgarten-Crusius de librorum N. T. interpretatione, Reinholdius de psychologia et logice habuerunt. At mox quum intellexissem, fieri non posse, quin in duabus disciplinis parem diligentiam collocarem, misso theologiae studio ad solam cujus amor praevaluit, philologiam me converti, ac celeberrimi Boeckhii fama ductus ineunte mense Novembri ej. a. Berolinum me contuli, ubi Dietericio rectore civibus academicis sum adscriptus.

Ostendit mihi Boeckhius v. ill. primus, quemnam inter disciplinas philologia teneat locum, quaenam sit ejus notio, quinam ambitus, quinam finis; aperuit totius antiquitatis fontes, ex quibus jam summa cum cupiditate hausi. Ac quanta cum humanitate ab illo et ill. Joanne Franzio sim exceptus, quantum praestantissimo eorum consilio in studiis ubique adjutus, quanta denique benevolentia uterque et cura etiamnunc me prosequantur, non satis possum laudare.

Per quatuor deinceps annos scholas frequentavi philologicas Boeckhii, Franzii, Gepperti, Heysii, Lachmanni, Zumptii; philosophicas Georgii, Maerckeri, Micheleti, Schellingii, Trendelenburgii; mythologicas Stuhrii; historicas Rankii et Raumeri; geographicas Ritteri.

Praeterea seminarii regii philologici exercitationibus Boeckhio et Lachmanno moderantibus, sodalis ordinarius per duos annos interfui, item disputationibus philologicis Franzii, philosophicis Trendelenburgii. Quibus viris ill. cl. omnibus per totam vitam gratiam habebo.

Per duos postremos annos in perscrutanda provinciarum Romanarum condicione plurimum temporis consumpsi; quorum studiorum specimine amplissimo Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis ordini philosophorum proposito ad examen philosophicum admissus sum, quo comprobatus pro summis philosophiae honoribus rite obtinendis jam ad defendendam una cum thesibus dissertationem accedo.